ANNVS NOVVS
NOVO AFFVLGENTE SIDERE
NOMINIS IESV
Vbertatis, Pacis, & Salutis Nuntio
feliciter faustèq. auspicatus.


ORATIO
Habita in Sacello Pontificio Kal. Ian. 1647.

AD

SS. D. N. INNOCENTIVM X.
PONT. OPT. MAX.

A P. FRANCISCO MORSIO BELGA
TVNGRENSE
Clericorum Minorum.





ROMÆ, Per Franciscum Monetam. M. DC. XXXXVII.

SVPERIORVM LICENTIA.

EMINENT.MO ET REVER.MO

PRINCIPI

D. RINALDO

DE ESTE

S. R. E. CARD. AMPLISSIMO

FRANCISCVS MORSIVS CLERICORVM MINORVM F.

FELIX *faustumquè Tibi sit*, Eminentissime Princeps, *renascentis Anni primordium cœlesti sub sidere NOMINIS IESV auspicatum. Nec Annus* [f]*icior renasci potuit, nec ego faustiora valui E. apprecari primordia, quàm sub felicissimo faustissimoquè diuini NOMINIS auspicio: siquidem* [N]*OMEN est felicitatis, Omen faustitatis, Nu*[me]*n prosperitatis, Sidus denique non infausto lumi*[ne c]*omminans, aut Famis, aut Belli, aut Pestis ca*[lam]*itatem; sed benigno fulgore ominans triplicē,* [id] *est, omnem felicitatem, faustitatemquè: ni*[mir]*ùm Vbertatem, Pacem, & Salutem, quamplu*[rib]*us mea in Oratione argumentis comprobatam.*

At fallor, ni hoc ipsum è Regio tuo stemmate Christianæ Reipublicæ inauguratum dixerim. Quid enim tria illa tui Regij stemmatis Lilia, nisi trinæ istius Prosperitatis omina, eò certiora, quò geminata reflorescunt? Lilia quippe Spei Publicæ symbola non obscura sunt felicitatis faustitatisq præsagia. Nec mirum ea à Te expectari, quæ à Deo precamur; in terris enim aliquando, vt speramus optamusq. vices ages Dei. Accedit quòd Regia tua Lilia cum Aquilis auium imperatricibus sociata, haud dubiè portendunt, Romanum inter Imperiũ, Regnumque Liliaceum, expectatissimam ineũdam fore societatem. Quo etiam fiet, vt tandem optata fruatur orbis Vbertate, Pace, & Salute; quam Eminentiæ Tuæ Deus Opt. Max. perennem largiatur. Vale.

ORATIO.


Vlgentissimum diuini NOMINIS iubar, Beatissime Pater, sanguineis cruentę Circumcisionis radiatum comis, veluti crinitus cometa resplẽdet terris: non cõminans infausto lumine renouandã antiquæ cladis calamitatem, sed ominãs benigno fulgore, sub noui Anni auspicijs, diù optatam nouæ felicitatis faustitatem. Siquidem non Famis, non Belli, non Pestilentiæ nuntius, sed Vbertatis, Pacis & Salutis. O NOMEN faustum omen felicitatum! Faustissimo diuini NOMINIS omini gratulabunda applaudens sponso decantat spõsa: *Oleum effusum NOMEN tuum.* At quænam diuini NOMINIS cum olei liquore comparatio? An quia in splẽdidissima Romanæ Ecclesiæ lampade Euangelicum pascit lumen nunquam emoriturum Christianæ fidei? An quia inermes nudosq. Christi athletas in militari huius vitę palestra cum Satana luctaturos inungit ad spem victoriæ, ad spem triumphi? An quia vel in medijs iniquitatum aquis æterna nutrit diuini amoris incendia? Bene est. Sed ad rem nostrã me perorasse existi- Cant. 1.

mabo, si propter hodierna Vbertatis, Pacis & Salutis felicissima omina, oleo comparatum ostēdero. Oleum quippe, si copiosam præsagit (vaticinantė Ioele) bonorum abundantiam; *Ego mittam vobis oleum, & replebimini in eo*: oleum effusum NOMEN Domini propter vbertatem miserrimis temporum calamitatibus copiosissimè effusam. Si oleum (inquam) curandis vulneribus à Samaritano applicitum, semimortuum reuocat in vitam: oleum effusum NOMEN Domini propter salutē extremis in vitæ periculis frequentissimè conseruatam. Denique si oleum furenti pelago infusum discordes componit in pacem procellosos spumātium vndarum fluctus: oleum effusum NOMEN Domini propter Pacem Reipublicæ Christianæ bellorum tempestatibus æstuanti sępissimè allatā. Quodnam enim NOMEN, aut NVMEN ad Pacem cōponendam tàm præpotens; ad salútem donandam tàm præsentaneum; *Ad abundantiam de rore cœli & de pinguedine terræ* effundendam tàm ferax, quàm NOMEN Domini? Nunquid ipsum adeo ferax, vt virginitatem diuina prole fœcundet? Adeste Deiparæ canenti: *Magnificat anima mea Dominum, quia fecit mihi magna qui potens est & sanctum NOMEN eius*. Nunquid

Ioel. 2.

Luc. 10.

Plin. lib. 2. cap. 103.

Gen. 27.

Luc. 1.

ipsum

ipſum adeo præſentaneum, vt vix inuocatum ſalutem donet ? Excipite Apoſtolum prædicantem: *Quicũque inuocauerit NOMEN Domini, ſaluus* Rom. 10.
erit. Nunquid ipſum adeò præpotens, vt longè latèque diſperſa bella diſsipet, Pacemque reducat? Audite Dauidem pſallentem: *In Iſrael magnum* Pſ. 75.
NOMEN eius, ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium & bellum, & factus eſt in Pace locus eius. Ipſum ipſum eſt, quo contemptæ in eius obſequium diuitiæ centuplici cum fœnore compenſantur: *qui renunciat omnibus quæ poſsi-* Matt. 19.
det propter NOMEN meum, centuplum accipiet. Ipſum ipſum eſt, quo vniuerſus terrarum orbis, quà bellis diſsitus, quà ſectis diſſectus, in vnam fidem Pace propagatam, in vnam Eccleſiam Pace fundatam, vno ſub Capite Pace coronato compoſitus, gratiſsima aliquando Pace fruetur: *Et vocem meam*, hoc eſt, NOMEN *meum audient, &* Io. 10.
fiet vnus Paſtor & vnum ouile. Ipſum ipſum tandem eſt, quo nec ſibi Chriſticolæ venenatos formidant potus: *In NOMINE meo ſi mortiſe-* Marc. 16
rum quid biberint non eis nocebit: quinimò & alijs ęgritudine languentibus leui manuum tactu ſalutem impertiuntur: *In NOMINE meo ſuper ægros manus imponẽt & benè habebunt*. Quid ni ſalutem ibid.

præ-

præſagiret ſeruatoris NOMEN, ſi NOMEN eius
1. 2. *Saluator*? Quid ni autumaret Pacem, ſi NO-
a 9 MEN eius *Princeps Pacis*? Quid ni vbertatem
att. 2. polliceretur, ſi NOMEN eius *Nazaraus*, hoc
eſt floridus? vbi flores, ibi vbertas. Teſtes ſint
Vbertatis Iſraelitides, qui Duce Ioſue in ſuo no-
mine diuini NOMINIS ferente ſignum, ingreſ-
Iuſt. art. con. ryph. in n. ſi ſunt terram (conſpicuo Iuſtini Martyris ſuffra-
gante teſtimonio) lacte & melle vberrimè ma-
nantem. Teſtes ſint Pacis, tum è Paſtore gregum
egregius Hebræorum propugnator Dauid, tum
perduellium Angelorum expugnator Michael,
quorum inuicto hoc in NOMINE deuictis hoſti-
S. Bernar-din in conc. de nom. Ie-ſu. bus (triumphali Diui Bernardini Senarum trium-
phi applaudente tuba) alter terris, alter cœlis Pa-
cem peperere. Teſtes ſint Salutis, quà Apoſtolo-
rum Princeps, quà Doctor gentium, quorum
iſte *Damaſci à fratribus per murum demiſſus in*
Cor. 2. *ſporta*, *Præpoſiti gentis Areta Regis euaſit ma-*
Act. 3. *nus in NOMINE Domini*: ille ſedentis ad por-
tam Speciosam infirmas claudi plantas ſolidauit.
Teſtis ſit (inquam) ipſemet tartareus diuini NO-
Luc. 8. MINIS hoſtis, qui *voce magna clamans*, *IESV*
fili Dei altiſsimi, *nè me torqueas*; non ſolum
omne effugit torturæ ſupplicium; verùm etiam
in

in gregem sordidissimorum animantium pro voto ingressum impetrauit. O NOMEN *super omne nomen* cuius amplissimo Maiestatis imperio *omne genu curuatur Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum*; quia & Cœlis paciferum, & terris fœcundũ, & vel ipsis Inferorum Spiritibus propitium. Resonet igitur à Solis ortu vsque ad occasum ac Cœlos Terrasq. & Inferos personet applausus Spõsę: *Oleũ effusum NOMEN tuum*. Cæterùm liceat mihi pro coronide augustissimum NOMEN admirãdis olei virtutibus gloriosum coronarijs oliuæ frondibus à Ieremia Propheta consertis coronare: *Oliuam vberem fructiferam, speciosam vocauit Dominus NOMEN tuum*. Oliuam verè vberem NOMEN Domini appellauerim incomparabili cœlestium baccarum abundantia vniuersam locupletantem terram, nedum Pontificio Gratiarum FIAT geminato, sed & Diuino Cœli Terræque conditore: nam *maiestate NOMINIS eius replebitur omnis terra: Fiat, Fiat*. Oliuã verè fructiferã nuncupauerim viuifico salutis fructu onustã: nam Pharaone marinis fluctibus obruto *Saluauit Israel propter NOMEN suum*. Oliuam verè speciosam prædicauerim præclaro Pacis symbolo decoratam: nam *in NOMINE meo dæmonia*

Philip. 2.
Ger. 11.
Ps. 71.
Ps. 105
Matt. 16

eijcient, hoc est, bella dæmoniorum Zizania eradicabunt, Pacem seminabunt. Quemadmodum enim vniuersali per orbem grassante diluuij
n.8. strage, ramus Oliuæ in ore Columbæ, veluti sidus in aere benignum naufrago affulsit mundo prænuntius, tum confirmatæ Pacis, tum redditæ Vbertatis, tum conseruatæ Salutis: ita profectò sanctissimum Redemptoris NOMEN Oliuæ titulo insignitum, in ore Columbæ, hoc est Ecclesiæ: nam *Vna est Columba mea* accinit Sponsus;
n.6. fausti adinstar in cœlo luminis etiamsi criniti Cometæ referētis imaginem, certissimum esse omen felicitatum nemo inficiabitur.


Ita est. Ipsa enim Veritas plusquàm verissima
16. asseuerat: *Si quid petieritis Patrem in NOMINE meo ipse dabit vobis*. Dabit Vbertatem. Dabit Pacem. Dabit Salutem. Dabit Vbertatem, sed abundantia Pacis affluentem. Dabit Pacem, sed Vbertate Salutis abundantem. Dabit Salutem, sed tum Pace, tum Vbertate redundantem. Da-
lip.2. bit Salutem languenti corpori, *Vt salutem operemur anima*. Dabit Pacem bellanti Mundo, *Quam*
n. Ro. *Mundus dare non potest Pacem*. Dabit Vbertatem ægestate laborantibus *In abundan-*
n. 15. *tia benedictionis*. Dabit Vbertatem non modò

ter-

 95

terrenis opulentam bonis; verùm etiam donis cœleſtibus refertam. Dabit Pacem non modò externa fœderatorum corona redimitam, verùm etiam interna animorum concordia coronatam. Dabit Salutem non modò in hac lacrymarum valle iucundam, verùm etiam in excelſis cœlorum montibus perpetuò beatam. Fœlix igitur fauſtumque ſit & Vrbi & Orbi renaſcentis Anni primordium, tam felici ſub ſidere, tam fauſto ſub omine, tam auguſto ſub NOMINE auſpicatum, quod ſit benedictum in ſæcula.

Dixi.







64

96
65

11

